



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 23. De Sedatione tempestatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXIII.
DE SEDATIONE TEM-
PESTATIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. IESVM, in stagni transfretatione *Matt. 8.*
dormientem Discipuli suscitant di- *Mar. 4.*
centes: Domine, salua nos; perimus. *Luc. 8.*
- II. Quibus dixit: Quid timidi estis,
modica fidei? Et imperauit ventis ac
mari; Et facta est tranquillitas.
- III. Quo visio, Exterriti; inter se di-
cebant: Quis putas hic est: quia ven-
ti & mare obediunt ei?

FIGVRÆ.

IOnas in naui dormiens tempestate a-
gitata, excitatus à vectoribus, dum se *Ion. 1.*
permisisset in mare iactari, tempestatem
sedauit.

PROPHETIÆ.

1. **D**ixit & stetit spiritus procella. *Pf. 106.*
2. **T**u dominaris potestati maris, motū *Pf. 88.*
autem fluctuum eius tu mitigas.
3. **E**xurge quare obdormis Domine, exurge *Psal. 43.*
adiuuua nos propter nomen tuum.

D 3

4. Cla-

DI-

Psal. 106. 4. Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos, & statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius.

DOCUMENTA.

1. **D**iscipuli Christum in nauiculam ingredientem secuti sunt, ceteris in terra relictis. Illi veri sunt Christi discipuli, qui non solum eum comitantur in terra, id est, rebus prosperè adhuc fluentibus, sed etiam cum eo ingrediuntur mare, id est, tribulationes & aduersitates huius vitæ.
2. Per Apostolos, tempestate maris iactatos & afflictos significatur, neminem Christianorū posse hanc vitā sine afflictione aliqua trāsigere. Tentationes enim sunt, quædam fidei nostre exercitia & probationes.
3. Christus dormiebat in nauicula, Caueamus, ne Dominus nobis hodie, si nō corporaliter sibi, saltē nobis dormiat spiritualiter: quod fit, quādo nos ab orationis, bonorūq; operū studio abstinemus, & in desiderio proficiendi tepescimus. Quo casu, merito nobis timere debemus, crebrisq; & deuotis precibus efficere, vt euigilemus, vt immunes à salutis nostre periculo, quod impendet, simus.
4. Discipuli Christi affligebantur vehemētia ventorum, maris motu, & impetu fluctuū, quibus nauicula penè obruebatur: sic, qui incipiunt seruire Deo triplici ferè genere tentationum sigillatim concutiuntur. Primo insulibus dæmonis, qui designātur per ventos. Secundo persecutionibus mundi, quæ significantur motu maris. Tertio tentationibus carnis, quæ denotantur per impetū fluctuū nauiculam

culam intrantium, à quibus omnibus anima iusti, quando proprijs viribus resistere nō potest, si mente deuota impleret opem Domini, defenditur & propugnatur.

5. Apostoli existentes in periculo submersionis recurrerunt ad Christum, & liberati sunt. Quando quis aliqua tentatione coniuncta cum periculo salutis pulsatur, si negligēs sit, & per orationem ac Sacramentorum vsum non confugiat ad Christum, quid mirum si vincatur, & in peccatum lapsus animam suā perdat.


6. Quod Dominus voluerit excitari, & à discipulis rogari, vt ipsos periculo liberaret; eo ipso significauit, se velle à nobis in necessitatibus nostris orari: vnde sæpe permittit nos incidere in tentationes & aduersitates, vt per orationes ad eum per fugium nostrum habeamus, & ita ab illis liberemur.

7. Dominus arguit discipulos ob modicam eorum fidem: vt discamus timoris nostri causam non esse tentationes, sed modicam fidem quam habemus. Quare, qui in huius mundi afflictionibus murrnant, trepidant, & impatienter eas sustinent, declarant se esse modicæ fidei. Scriptum enim est, Fidem nostram esse victoriam, qua vincimus mundum, id est, pericula mundi.

8. Nauicula, in qua erant discipuli, designat pœnitentiam, qua homo deducitur ad salutis portum. In hanc nauiculam ingreditur Christus, quando homo salutis suæ studiosus incipit commutare vitam, & de peccatis agere pœnitentiam. Christus autem dormit in illa, quando subinde permittit nos, subtracto auxilio, incidere in tentationes, vnde ordinariè, qui incipiunt seruire Deo, grauius à dæmone oppugnan.

oppugnantur; sed non debent animum despō-
dere, quia Christus est cum illis, atq; ideo de-
bent resurgere ad ipsum, vt fecerunt discipuli
& tanta instantia illum implorare, donec mi-
sericordiam ab eo impetrarint.

9. Est quoque per hanc nauiculam significa-
ta quauis anima fidelis, in quam versantem in
tempestuoso huius corporis corruptibilis ma-
ri, & tot perturbationibus & tentationibus
subiectam, tunc ingreditur Christus vnā cum
suis discipulis, quando eam inhabitat per suā
gratiam, virtutes & dona Spiritus sancti. Sed
aliquando Dominus dormit, permittens ad
maiores eius profectum, vt varijs tentatio-
num ventis, & passionum propriarum tempe-
statibus agiteretur, sed gemitibus, & flebilibus
vocib. animæ excitatus, mox succurrit in affli-
ctione, depulsioneque tentationum solatur,
vel certè vires addit, & patientiam, vt vberio-
re fructu eas tolerare possit.



MEDITATIO XXIV.
DE PARALYTICO IN-
TRA DOMVM SANATO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

*Matt. 9. I. Cum, IESV docente, tanta multitudo
Luc. 5. conuenisset, vt nemo domum intrare
posset, quidam ascendentes in tectum,
remotis tegulis dimiserunt per funes
paralyticum ante illum.*

*II. Qui videns fidem eorum dixit para-
lytico:*